



R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

22. In Festo S. Germani, tripart. De ventre Matris meæ tu es protector
meus, in te cantatio mea semper, tanquam prodigium factus sum multis &
tu adiutor fortis. Psal. 70.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56381)

LECT. 22.
tripar-
tita.

IN FESTO S. GERMANI.

*De ventre Matris mea tu es protector meus, in te can-
tatio mea semper, tamquam prodigium factus
sum multis, & tu adiutor fortis.
Plal. 70.*

PARS I.
*Quomodo
Deus pro-
rexit S.
Germ ab
utero
matris.*

Multiplicibus celestis gratiæ auxiliis profe-
quitur Deus Fideles, jam ab utero sua illos
circumdans protectione. Quod quidem pauciat-
tendunt, ideoque ingratitude tetrat macu-
lam coram eo contrahunt, ulterioribusque gra-
tijs & uberioribus beneficijs viam obstruunt. An
non divinæ gratiæ adscribendum est, quod cum
tot hominum millia inter fideles nascantur, & fi-
de ac baptismo desistantur, nos voluit Deus
inter Fideles nasci, baptismo tingi, in fide in-
strui? An non rursus divinæ est beneficiæ, quod
cum multi infantes in utero emoriantur, & pro-
jiciantur abortivi, nobis concesserit educi in lucem
vitæ hujus mortalis, & peringere ad baptismi Sa-
cramentum, ut lucem gratiæ consequeremur? An
non divinæ protectionis est, quod per tot casus
& discrimina hujus vitæ corruptibilis & caduca
in eam nos ætatem perduxerit, ut luce ejus cele-
stus affluente, intellectum & voluntatem, vitam
& spiritum ei valeamus consecrare? Denique, an
non varia nobis offert media, varias immittit in-
spiraciones, varijs prævenit gratiæ auxilijs, ut nos
ad se attrahat, & in salutis viam felici vestigio
perducatur? Cur ergo ingrati sunt homines? Cur vel-
ut cæci oculos cordis in talem benefactorem &
protectorem non intendunt? Cur hæc gratiæ di-
vinæ beneficia pulveri inscribunt, & proterunt,
aut certe post tergum projiciunt, & parvipendunt?
Quam pauci sunt qui hæc, ut decet, rememorant,
aut in cordis sui sinu ex sinceritate recenserit? Hanc
ingratitude in nobis propulsa nititur Aposto-
lus, dum sic alloquitur Colossenses, nosque in illis
instruit: *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes,
ut impleamini agnitione voluntatis ejus, ut ambu-
letis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono
fructificantes, crescentes in scientia Dei, gratias agen-
tes Patri qui dignos nos fecit in partem sortis Sancto-
rum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebra-
rum, & transfudit in regnum filii dilectionis sue, in
quo habemus redemptionem & remissionem peccato-
rum. Omonitum in latitudine cordis Christiano-
rum inscipiendum litteris vivis, & sæpè sæpius re-
memorandum cæcis & ingratis, ut eis aures vell-
cet, oculos aperiat!*

Class. 2.

Plal. 70.

Hanc quoque condemnat ingratitude in Rex
& Prophetam, dum in Deum animum erigens, ejus-
que in se propensam beneficentiam considerans,
sua vi de cantat modulamine: *De ventre matris mea
tu es protector meus in te cantatio mea semper. Neq;
verò solum propter se id canere censendus est, sed
& omnes fideles id ipsum optat secum occinere,*

quia verè Dominus de ventre matris est protector
Christianorum, omnifarijs gratiæ auxilijs eos cir-
cumdans, præveniens, concomitans, subsequens, ut
in viam æternitatis perducatur. Repletur ergo eos eo-
rum laude, cor amore, ut contentent gloriam Prote-
ctoris sui: oculos aperiant, ut videant manum ejus
proferentem, quæ ab Oriente usque in Occidentem,
hoc est, à nativitate usque ad mortem, eos deducit
& protegit.

Equidem hoc omnes concernit Christianos, quia
saltem omnibus Deus sufficientia gratiæ auxilia
impertitur, quibus saltem & finem ad quem crea-
ti sunt, assequantur, nec est defectus ex parte Dei,
sed ex parte liberi arbitrii, si ab illo sine excidant.
Tamen specialissimè hoc nonnullis convenitele-
ctis, quibus singularem impertit protectionem
jam ab utero & infantia, atque in eis rutile facit
electionis suæ signa; prosequiturque eos celestis
gratiæ continuo favore, donec introducat in lo-
cum gloriæ. Certè de electis intelligendum venit
illud suavifonum promissum Domini apud Isai-
am: *Audite me domus Jacob, & omne residuum domus
Israel, qui portamini à meo utero, qui gestamini à
mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad
canos ego portabo: ego feci, ego servavi, ego portabo
& salvabo.* Ecce quomodo electis suis Deus prote-
ctionem promittit non solum paternam, sed etiam
curam specialem instar matris foetum suum utero
continentis; & hanc quidem curam spondet, non
solum pro aliquo temporis decursu, sed à cunis us-
que ad canos, ab utero usque ad sepulchrum, donec
eos pariat beatæ æternitati. O admirabilis amor &
providentia, propter quam electi specialiter reso-
nant: *De ventre matris mea tu es protector meus, tan-
quam prodigium factus sum multis. Repletur os
meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die ma-
gnitudinem tuam.*

Deus
quosdam
specialiter
ab utero
protegit.

Isa. 46.

Inter hos parò electos, qui protectionis divi-
næ specialem experti sunt gratiam, jam ab utero,
merito recensemus sanctissimum Patronum no-
strum Germanum, Vrbis Parisinæ quondam Epi-
scopum. Etenim Dei speciali protectione & favore
præservatus fuit à suffocatione, quam mater ei mo-
liebatur in utero dedecorosè & non sine crimine.
De illo enim sic legitur in vita ejus scripta per For-
tunatum Episcopum Pictavonum: *Germanus ter-
ritorii Augustodunensis indigena, patre Eleutherio,
matre Eusebia, honoratis parentibus est procreatus.
Cujus genitrix, pro eo quod hunc post alterum intra
breve spatium concepisset, pudore mota muliebri, cu-
piebat ante partum infantem extinguere. Ei accepta
patione ut abortivum profereret, dum nocere non pos-
set, incubabat in ventrem, ut vel sic pondere præfoca-
ret. Certe mater cum parvulo, veniebat in infans
ab utero. Erat ergo pugna inter parentem & viscera.
Ladebatur matrona, nec nocuumtum accipiebat in-
fantia. Obluctabatur sarcina, ne mater fieret parri-
cida. Vnde actum est, ut servatus incolumis ipse illa-
sus procederet, & matrem redderet innocuentem. Erat
sane*

S. Germ.
in utero
matris à
suffocatio-
ne præser-
vatus.

sanè hinc futurum proficere, ante illum fecisse virtutem, quam nasci coningeret. Hæc ille.

Omiferandam matrem, dum se foetus sui parricidali nece cruentare parabat, nisi divina protectio obstitisset, quæ foetum hunc sacrum non solum familiæ, sed etiam totius Ecclesiæ bono reservabat. Hæc ratione Deus providentiam suam singularem erga hunc electum demonstrabat, quam etiam erga nonnullos alios ab utero simili planè modo declaravit, ut cum S. Germano possent illud Prophetæ concinere : *De Venere matris mea tu es protector meus.*

Sic cum S. Pontii Martyris genitrix, adhuc eum utero continens, templum Iovis adisset munus oblatum, Sacerdos ibi aris idolorum assistens infulus adornatus, mox à dæmone correptus fuit, & ornamentum capitis sui discepit, inclamans: *Hæc mulier filium gestat in utero, qui hoc sanum Iovis everteret.* Hoc audito, mater illa domum regrediens, saxo ventrem & latera tundebat, ut prolem suffocaret. Sed non potuit nocere, Deo sanctum servante foetum, qui postmodum totam debebat familiam ad veri Dei fidem convertere, & templum Iovis, Dei fictitii, funditus evertere. Hoc enim effecit Romæ Pontius, Romani Senatoris filius, auctoritate Fabiani Pontificis adjutus, & postmodum pro fide martyrio est affectus. De quo apud Surium 14. Maji.

Sic quoque B. Petri Damiani mater, quod prole numerosa gravaretur marito defuncto, & in summis angustiis res domestica vertebatur, Petro vix dum nato lac negare aggressa est, prolix ut nihil infans vagitu crudelis mater moveretur. Haud dubie mors erat secutura, nisi speciali Dei providentia mulier quædam adveniens, fame & frigore nigrescente miserata infantem, crudelem matris animum redarguisset, eaque paululum ad tranquillitatem revocata, calentis aquæ beneficio, aliisque auxiliis, infantem semimortuum ad vitam revocasset. De quo apud Surium 22. Februarii.

Notissimum quoque est de Moyse ex sacris literis, quomodo in infantia sua speciali Dei providentia & protectione sit præservatus, non obstantem decreto regio de enecandis & submergendis omnibus masculis recens natis. Nam & in flumine non sine discrimine expositus, à filia Pharaonis eductus est, & in aula regia educatus, insuper & ab ea in filium est adoptatum. Nempe præservabat eum divina protectio, & reservabat ad suam gloriam manifestandam in populi sui liberatione ex Ægypto, quæ facta est per manum & ducatum ipsius.

Similiter servabatur instar Moyse jam ex utero S. Germanus, ad manifestandam gloriam Dei in populi sui directione, & prodigiosa miraculorum operatione. Neque solum ea vice à matris suffocare nitentis impio solimine protectionem accepit cœlitus, sed etiam postmodum specialiter præservatus fuit à venenato poculo ei in necem præ-

parato. Rem sic enarrat scriptor vitæ ejus cap. 2. *Dum à Vallone Castro simul cum Stratidio propinquæ puer adhuc scholis excurreret, mater parentis ut illius sibi hereditatem acquireret, de adolescentis nece tractavit. Temperatam potionem in ampullam condidit, vinum quoque in alteram posuit: præcipiens puella, ut venientibus ambobus, illi porrigeret de vine, isti de maleficio. Sed ignorans ministra, ampullam præriter mutat & pocula; vinumque S. Germano, venenum vero dat Stratidio. Sic dum infanti præparatur interitus, aucter cecidit in laqueum. Quo mater eius cognito, puellam increpat cum fletu sibi eam extinxisse filium. Cui Stratidio sollicitè impensò studio, esse mors vitam non abstulit, tamen signum mortis infixit. Hæc Fortunatus Episcopus.*

Agnosce igitur hic divinam rursus protectionem erga S. Germanum, cui nec consilium matris suæ eum in utero extinguere conantis, nec consilium matris Stratidii calice virulento interimere eum parantis, nocere potuit: Etenim non est consilium, non est prudentia, non est sapientia, aut vis maligna, quæ possit prævalere cõtra Dominum. Agnosce simul crimen utrobique detestandum. Ex parte quidem matris, quia homicidium & parricidium parabat; nec satis eam excusare poterat pudor muliebri, qui eam ad id impellebat, aut imperfectio foetus, quasi crimen grave non foret, embriõnem in sua imperfectiõne excutere. Audi Tertullianum in Apologet. cap. 9. *Novis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem debetur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert, natam quis eripiat animam, vel disturber nascentem. Homo est, qui futurus est, nam fructus in semine est.* Hæc Tertullianus. Est tamen gravius peccatum, si extinguatur foetus animatus, quia anima infans irreparabili damno simul afficitur, numquam visura Deum, dum baptismo destituta extinguitur. O igitur infelices matres, non matres, quæ potiones sumunt, ut foetum vel impediant, vel excutiant, ò infeliciores, quæ non solum informis corpusculli, sed etiam animæ infantilis, jam informantis quodammodo sunt peremptrices, dum æterna eam vita privant. Proh dolor, quam id usitatum est puellis fornicariis, quæ ut libidini indulgeant, & honori consulant, artibus variis utuntur, ne concipiant, vel ut conceptum statim excutiant! Sic crimen crimini infelicissimè accumulatur. Interim sæpe contingit in poenam peccati, ut suo non valeant nocere foetui. Deo illum protegente, & peccatum earum propalante, simulque placentem negligentiam parentum in custodia filiarum, dum tristitia & infamia familiæ postmodum sublequitur ex fornicaria prole.

Ex parte quoque matris Stratidii, quæ erat avia Germani, multiplex delictum reperitur, dum necem intentat infanti, ut hereditatem eripiat. *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* O malestuada cupiditas!

culo præservatus.

Prov. 21.

Exod. 2.

S. Germanus à venenato poculo

*Hec sicut à genivo, nec hospes ab hospite tuus ;
 Filius ante diem patris inquisit in anno.
 Sicut verum est illud : Consanguinei & affines non
 sanè diligunt nos, quam nostra: ut misce mel, cadaver
 lupi, sic predam sequitur hac turba, non hominem.
 Hæc tamen in opprobrium non cedunt S. Germa-
 no, quia parentum opprobriis non decoloratur,
 qui propria virtute decoratur.*

*placitum ab ordine, donec clarescente jam die de-
 cantatus solemniter Cursus uniuersus consummaretur
 ex Canone. Ita Fortunatus eius contemporaneus re-
 fert cap. 79. & 80.*

*O virum ineffabilem, nec labore victum, qui in-
 victum ab oratione spiritum non relaxabat: ideo
 que poterat merito sibi illud pro simbolo facto af-
 sumere: in se cantatio mea semper. Repletur o memum
 laude, ut cantem tota die, immò & tota nocte, gloriam
 & magnitudinem tuam. Pernoctabat in oratione
 & Dei laude algida senectus per hyemem sustinens
 duplex frigus, ætatis scilicet & temporis, quod nec
 tolerare possent iuvenes potulenti; Quin immò &
 preces horarias, etiam in itinere, semper nudo ca-
 pite persolvebat, etiam si nix aut imber urgeret, vel
 frigida hyemis tempestas in aëre roboraret. Neque
 de hoc pietatis fervore extrema in ætate, penè
 octogeneria quicquam remisit. Nec Pontifex exis-
 tens. Monachus esse desit, sed sic se semper piè,
 & religiose, fortiterque gessit, ut supra hominum
 fuerit omne quod edidit.*

PARS II.
Quomodo
Dei laus
semper in
ore & cor-
de S. Ger-
manus.

Quia S. Germanus Deum sibi ab ineunte ætate
 sensit propitium, ideo ubi adolevit, divino ob-
 sequio divini que laudibus speciali pietate sese ad-
 dixit, divina gratie luce collustratus, ut posset
 cum propheta dicere: *in se cantatio mea semper. Re-*
pletur o memum laude, ut cantem gloriam tuam, tota
die magnitudinem tuam. Quod quidem effecit to-
ta die, hoc est, quamdiu dies & lux vitæ ej affluisit.
 Ac in primis à carnis parentibus segregans se, ut
 Patri spirituum attentius posset delervire, ad S.
 Scopolionem Lauffam se conferens, ab eo sanctis
 moribus est instruitus. Cumque ferè mille passus à
 loco, ubi Vir Dei Scopolio agebat, distaret locus,
 ubi Germanus morabatur, nihilominus ad matu-
 tinos Psalms decantandos jugiter curebat, per
 tempestatem & hyemem, ductus calore fidei, ad-
 spirans & animans se continuo ad laudem Dei;
 quia per jucundum erat ei, si posset in veritate Do-
 mino dicere: *in se cantatio mea semper, repletur o*
memum laude.

*Neque dubium esse potest, quin mirè eum Deus
 in oratione illustravit, cum oratio non fit nisi lux
 animæ, colloquium cum Deo, confortiumque cum
 æterna luce. Hoc ipsum voluit Deus quadam die
 per externum symbolum in ipso patescere. Inge-
 diebatur S. Germanus domum cuiusdam viri iusti
 probatæ fidei & virtutis, cui nomen Ebro. Anna
 autem ejus uxor ingrediente Germano territa, pro-
 clamavit se rem miram videre. Inquiri maritus,
 quid illud foret? Ecce, inquit, Germanum video
 radiantem insar Moysi, quasi cornuta propter ef-
 fulgentes radios facie, nec valeo eum intueri sine
 grandi pavore. Credendum autem est, quod hanc
 promeruerit irradiationem propter continuum
 colloquium cum Domino, sicut & Moyses in
 monte Sinai. Ipsi vero irradiationis internæ sym-
 bolum hoc externum in domo viri iusti voluit Do-
 minus demonstrare, ad fidem ejus augendam, &
 devotionem eiga virum sanctum exacundam.
 Vnde & Ebro juxta virum Dei eo die sedere non
 præsumpsit, duplici de causa, honoris scilicet &
 terroris.*

*Hæc ergo pietas effulgens in S. Germano, causa
 fuit, quod intra termini lustræ spaciæ à B. Agrippino
 Diaconus fit institutus, & sequenti triennio Pres-
 byter ordinatus. De hinc à Venerabili Pontifice Ne-
 ctario Abbas ad S. Symphorianum, merito dignus
 est adiectus. Quamvis vero vigilis in oratione &
 laudibus divinis ibi perseveraverit continuo, quis e-
 narrabit inquit Fortunatus Episcopus. Familiare
 ei erat in Basilica S. Symphoriani vigiliis ducere
 remotis arbitriis, contemplationi & orationi va-
 cando: nullumque sibi cupiens nisi Christum oc-
 currere, furtim se è lectulo proripiebat in oratoriu-
 cum silentio, ac celebrata vigilia remans ad le-
 ctulum, quasi nihil egisset, tunc primum alios excita-
 bat, & monebat è sopore surgere. Quam secura de
 nocte ascendit oratio? Quam lucida, & recundo colo-
 rata rubore? Quam placida, nullo interurbata tu-
 multu? Quam sincera, nulla aspicientis laude senten-
 tia? Ita S. Bernardus ser. 86. in Cant.*

*Ex hoc continuo cum Deo colloquio in ora-
 tione, zelum ferventissimum honoris divini, zelum
 que salutis animarum hauriebat. Per orationem
 quasi ad Dei tabernaculum recurrebat, ut cor ad
 eum elevando, edisceret quæ ad subditorum salu-
 tem proferret. Exemplum Moyses etiam hac in re
 imitabatur, de quo sic loquitur S. Gregorius in Pa-
 storali: Moyses crebro tabernaculum intrat & exit,
 & qui intus in contemplationem rapitur, foris insi-
 stentium negotiis urgitur: intus Dei arcana conside-
 rat, foris onera subditorum portat. Qui de rebus du-
 bilitis semper ad tabernaculum recurrit, coram testa-
 menti arca Dominum consulit, exemplum procul du-
 bio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quis di-
 sponant, semper ad tabernaculum Dei redeant. Hoc
 peragebat S. Germanus, & maxime curæ ad popu-
 lum*

*Præterea longum esset dicere, quanta illi ad psal-
 lendum fuerit constantia, dum velut ferri vigore
 gelu indurata ejus caro subsisteret, cum vide licet
 saxa frigus decussaret, & aquas in custam verre-
 ret. Cum suis visceribus sic dimicabat, ut vinceret,
 penè seipsum obliviscens; ac per domesticum tor-
 mentum corpus superans, triumphum in pacifa-
 ctus Martyr acquirebat. Nam & se mutantibus cle-
 ricis sine vicissitudine ipse cantandis modulamina si-
 nebat. Hoc ei notum est contigisse, quod tertia noctis
 hora ingrediens Ecclesiam, non est egressus ul' ortus*

Cap. 3.

Cap. 71.

S. Ger. in oratione & laude Dei pernoctabat.

in oratione & laude Dei pernoctabat.

Foris.

Exod. 34.

Summus animarum zelus in S. Ger. fuit.

tam ei sermo habendus esset: prius enim in oratione spiritum attrahebat, quam es ad plebem Domini aperiret; hinc eius conciones erant ignito eloquio conflatae, & adomatae, ideoque efficacissimae. Testis est Fortunatus Pictavorum Episcopus, qui sic hac de re loquitur: *Quis dignè repetat, quanta virius verborum ab ore rotabatur, dum predicaretur in populo? Ita scilicet, ut omni literatura nasceretur super, & fieret in commune generalis compunctio. Certè omnino ex ore dicentis crederes quod verba sancto formarentur ab Angelo, dum plusquam homo loqueretur, translatus in mentis excessum, & ab aliis virtutum miraculis sinceritate dogmata, pectora plebis egeret divinis effragare pigmentis.* Hactenus Fortunatus Episcopus.

Sic igitur rursus poterat Domino infonare: *In te cantatio mea semper; repletur os meum laude, ut caute et gloriam tuam & magnitudinem tuam.* Non enim solum gloriam Dei decantabat psallendo & orando: sed etiam illam decantabat cum zelo & spiritu populis annunciando, ad conversionem eorum. O quot animas à peccati ludo ad gratiae candorem traduxit sanctissimis suis monitis, sicque è mancipiis Diaboli effecit filios Dei! Qui prius Deum verbo & vita blasphemabant, se & alios postmodum ad laudem Dei accendebant conversi per Virum Dei.

In prosperis & adversis Deum laudavit.

Denique tam in adversis, quam in prosperis, Dei laudem decantabat S. Germanus, ut tanto verius de ipso foret: *In te cantatio mea semper.* Cum quodam vespere lassus cibum sumeret, ingressus est quidam ex suis senile cum lumine, factumque est, ut carbone decidente flamma fenem corripere, & arida nutrimenta votax ignis allamberet. Concurrentibus omnibus, nec succurrere valentibus, ascendit super fabricam, concinens Screpetens, *Alleluja, Alleluja*, quod idem est ac *Laudate Dominum, Laudate Dominum.* Sicque decantata laude Dei paululum aquae fundens per modum crucis, extinxit incendium. Nempe de manu Viri sancti Deum laudantis exigua fluente aqua, mox sedatus est ignis, quem multa vix extinxissent flumina. O vim orationis, laudisque divinae! Postero autem die Daemon factus est suis insidijs hunc ignem fuisse accensum. Sed hæc satis, ad intelligendum, quomodo os eius laude divina repletum fuerit: nunc nobis explicandam restat, quomodo inflat Prodigii factus fuerit, & quomodo illud Prophetæ in veritate potuerit dicere: *Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.*

Pars III. Quomodo S. Ger. multis prodigium fuerit. Hæc s. H. l. 2.

Non est insolitum in sacris eloquijs, eximios sanctitate viros, Prodigij nomine designari aut S. Ger. Sic in persona Christi dicitur: *Ecce ego, & pueri mei quos dedi tibi Dominus in portum, quod quidem ex Isaiâ repetit Apostolus ad Hebræos.* Qui autem hic intelliguntur, nisi Apostoli & Apostolici Viri, qui Prodigij & Portentum orbi extiterunt, doctrina & sermone, vita & conversatione,

denique & miraculorum operatione? Annunciabant hominem in patibulo iustitiam Deum verum esse, cælique ac terræ Dominum. Quam portentosa, quamque prodigiosa tunc doctrina ista, antea inaudita? Crucifigebant carnem cum concupiscentiis suis abstinentia & austeritate, siti & fame, frigore & nuditate. Quam longè aberat à facili moribus talis conversatio & vita? Denique, cum nec doctrina, nec vita, eorum fides adhiberetur, stupenda edebant signa, an non erant in prodigium & signum dati? Potuerunt ergo & Apostoli & imitatores eorum, merito canere cum Propheta: *Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.* Potuit & id ipsum succinere S. Germanus, ob admirabilem, ut jam ostendimus, doctrinam, admirabilemque vitam: sed maxime ob admirabilia signa, quæ Dominus per ipsum patravit, ejus adjutor fortis in omnibus.

Psal. 70.

Prodigij suis Religiosis.

In primis, dum adhuc Abbatem ageret, prodigium fuit suis Religiosis, Deo eum adjuvante. Cum enim misericors mirum in modum foret erga pauperes, quodam tempore inopia & famis, copioso egenorum numero ad Monasterium concursante, non solum suppellestem erogavit, sed etiam panes omnes Fratibus reficiendis necessarios, ita ut nec panis unicus reliquus esset. Insuper autem, adversum se Fratibus, recludens se in cellula amare flevit. Inter hæc ipso orante, quædam nobilis Matrona duorum ad eum panis portitorum dirigit onera. Sequenti etiam die cum varia provisione destinavit plena vehicula; ita ut inde Monachi, cum satiarentur cibo: terrerentur miraculo. An non hic prodigium factus est multis? Vere, ô Domine Deus, tu fuisti ei adjutor fortis contra omnes contra ditiones, & palam ostendisti, quantum valeat firma in te fiducia, quia non deseris sperantes in te.

Sed & hoc planè memoria dignum est: Francorum Rex Childbertus advertens per hunc viam Dei & per manus ejus sanctificari elemosynas, quodam tempore misit ei sex millia solidorum eroganda in pauperes. Cum expendisset tria millia, & reverteretur ad palatium, interrogavit Rex: nunc quid superesset erogandum? Respondit, medietatem superesse, nec invenisse inopes, quibus mox totum expenderet. Cui Rex: *Dona audacter, quod restat: nam Christo largiente, nunquam quod donatur deficit.* Aurata igitur milloria ac argentea vasa comminuens, quicquid primum habuit, dat Sacerdoti. Erat ergo inspectanda contentio inter Sacerdotem & Principem. *Inhabit de misericordia pugnam, & de pietate certamen, ut de suis talentis egeni discederent, & ut semen sererent postea aliam longè messuri auream segetem.* Sic Sacerdos locupletabatur regalibus thesauris, & in Rege florebat gratia Sacerdotis, qui solum suum hoc esse credidit, quod nudum aut egenus accepit. *Theaurizate vobis thesauros, quos arugo non demolitur.*

Matth. 6. Prodigio se ad Episcopatum

Secundò, non sine prodigio cælesti ad Episcopatum

patum erectus.

Hebr. 5.

Pfal. 88.

patum Parisinum est erectus. Neque enim hanc ambiebat dignitatem, sed potius optabat in nidulo suo mori; hoc est, quiescere usque ad mortem in tranquillo Religionis statu Sciebat scriptum: *Nemo, sibi sumas honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Et rursum illud: *Dominus est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri.* Apparuit ergo ei noctu in sopore Venerabilis quidam Senex, portæ Parisiensis claves ei porrigens. Cuiusque interrogaret, cur hoc fieret: Responsum accepit istud: *Vi saluos civis facias.* Intellexit exinde vocationem & assumptionem suam, gloriæ Dei & animarum salutem profuturam. His igitur clavibus (quæ symbolum sunt potestatis, tam in regimine sacro, quâ politico) cœlitus se inaugurari agnovit, ideoque divinitus non esse obfistendum voluntati & vocationi. Vocatus verò est ut Moysen & Aaron, Virga ei prodigiorum in manus data à Domino, ad salutem populi sui. Ita namque effulsi miraculis, ut vitæ ejus scriptor octuaginta tria capitula impendat in illis describendis, circa, cæcos, muros, claudos, paralyticos, febre percussos, immò & circa mortuos aut jam jam moribundos. Speciale ei dominium dedisse videbatur Dominus super creaturas. Ejus non solum oratio & benedictio, sed etiam saliva, vestis, lectulus, lectuli stramen, immò & literæ ad aliquem ab eo scriptæ, sanitatem conferebant. Audi ex Fortunato c. 50. & 59.

Portentus in curatione morborum.

Dominicum die volantes varie puniunt. Et à S. Germano curate.

Prodigium Regibus.

risicavit eum Dominus in conspectu Regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendi illi gloriam suam. Audi, quomodo voluerit eum Deus à Regibus honorari. Cum veniret ad Regem Clotarium, moramque fecisset ante palatii vestibulum, nemo eum Regi indicavit; quare domum est reversus. Sequenti nocte Rex dolore & febris infestatione torquetur, Hinc primo diluculo ad eum adferunt Proceres, supplicationes ut Regem dignetur visitare, & doloris vim mitigare. Ipse injuriam postponens procedit, & qui antea nec nunciabatur, jam honoratus ingreditur. Rex affurgens de lectulo, caesum se conqueritur divino flagello, allambitque Sancti pallium, & vestem Sacerdotis deducit gaudens per loca doloris. Culpamque factus est, & sic dolor omnis fugit. Id verò actum est, ut ejuis incurrerat de contemptu periculum, sentiret de contactu remedium Audi & aliud prodigium.

Principibus.

Oratione carceris aperuit. Et vincit causam.

Prodigium fuit Daemonibus.

Nicasius Comes illustrissimus Castellæ de Vallone, invitavit Virum Dei ad prandium, mox verò cepit de misericordia cum Comite agere, & rogare, ut captivos, quos detinebat, dignaretur pietatis intuitu relaxare. Ille autem plane renebat. At Germanus sele proripiens è domo, coram ostio carceris cum lachrymis oravit, & exauditus est à Deo qui ab homine non audiebatur. Missus enim Angelus, qui eduxit vincitos, carceresque fecit apertos. Sic quoque, dum corpus ejus ad sepulchram deferretur, & transitus foret apud carceres, implorantibus captivis ejus auxilium, non potuit præponere ulterius deportari, donec captivi in libertatem essent asserti. Itaque, & in vita, & in morte, erga captivos misericors, *Prodigium factus est multis*, quia Deus erat ei adjutor fortis. Vnde & multoties in vita legitur oratione sua aperuisse carceres captivis.

Potremò adjiciamus, quod ipsis quoque prodigium fuit Daemonibus. Erat enim eis terrori, quia passim ejiciebat eos è corporibus humanis, vel è locis, quæ infestabant. Vnde cum Augusto, unum ad hunc effectum servus Dei accederet, occurrerunt ei Dæmones ululantes & clamantes. *Si de locis cultis nos expellis, vel habitare concede per solitarum solitudinem, ut liceat saltem per desertam miseros nos errare. Ante tuos enim oculos nec corpora nos celant, nec memora.* Ipsi itaque non ferentes ejus præsentiam, de obsessis corporibus & possessis locis vertebantur insugam.

Concludamus, & aliquid de ejus fine dicamus, qui non potuit non esse admirabilis, & gratius divinis plenis, sicut & vita. Certe diem beati sui transitus Deus fidei suo famulo prædixit. Quapropter Notarium advocans ante aliquot dies morti suæ prævios, quasi testamentum conditurus, jubet in cubiculo suo supra lectulum suum hoc scribere: *Quinto Calendas Junias, quod idem est ac Vigesima octava die Maij.* Nihil plus, nihil minus scriptum est, quia nec aliud ab ejus ore prodit. Admirantibus autem omnibus, & nescientibus quid hoc portenderet,

tenderet, postmodum id ejus de saeculo exitus declaravit, quem Dominus familiari sibi animae abscondere noluit. O quam felix, qui ante mortem scivit nomen suum scriptum esse in libro vitae, seque inter electos propediem divino sistendum aspectui, ut eo fueretur in aeternum? Hoc ubi de se revelatum fuisset S. Francisco biennio ante obitum, octo continuis diebus exclamabat, continuisque noctibus: *Laudetur Dominus, laudetur Dominus*; nec aliud quidquam poterat cogitare nec aliud dicere, ita ut ipsum divinum officium cogereur dimittere. Non ergo parvi momenti est istud, nec exigua S. Germanum affecit laetitia in extremis, agnoscere coronam verticis suo appropinquantem.

Itaque S. Germanus die de se designato, sero octogenerius mirandis per orbem actibus Apostolis aggregandus à Sanctis omnibus glorificandus dissoluto vinculo corporis, immaculato spiritu, ad caelos victor emigravit, à Christo aeternum coronandus, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in saecula saeculorum.

Appêdix
EPITAPHIUM S. GERMANI A CHILPERICO Rege Francorum compositum, & ab eodem ejus Sepulchro appensum.

*Celestia Speculum, Patria vigor, Astra reorum,
Et Pater, & Medicus, Pastor, Amorq; regis:
GERMANVS virtute, fide, corde, ore beatus;
Carne tenet tumulum, Mentis honore polum.
Vir cui data nihil nocere facta sepulchri:
Vixit enim; nam mori quem tulit, ipsa timet,
Hujus opem ac meritum nutus data verba loquentur:
reddidit & cæcis prædicat ipse dies.
Nunc Vir Apostolus sapiens de carne trophaum,
Iure triumphalis confidet arca poli.*

Epitaphium istud fuisse in honorem S. Germani, Pontificis inelyti Regiæ Urbis Parisiensis, à Rege Chilperico compositum, & sepulchro appensum, testis est Aymonius lib. 3. Histor. Francor.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS S. GERMANI, Episcopi Parisiensis tempore Pipini Regis Galliarum, sub annum 755.

Beatissimus Germanus venerabilem corporis sui transpositionem præcipientibus signis voluit ostendere. Nam cum ducentis circiter annis in porticu Ecclesiæ S. Vincentij Levitæ & Martyris, jam quidem Basilica facta, corpus ejus jacuisset humatum, anno vigesimo tertio, quo Carolus Mattellus, Pipini senioris filius, Francorum regnum tenebat, Landfredus, Monasterij S. Germani Abbas Venerab. divini Spiritus insinctu cogitare cepit, quod tanti Patroni agenda esset veneratio, sanctum corpus in Ecclesiæ majoris aulam transferendo. Sed quia pijs conatibus impedimenta se hujus sæculi

Tomus II.

obiciunt, multis annis res dilata est. Non tamen destitit, Germanus miraculis admodum eum devotionis concepta; nam cuidam piæ mulieri hæc ostensa est visio. Potabat se causa orationis nocte ad Ecclesiam S. Vincentij perrexisse: ubi clausas januas reperiens, ante fores procubuit, auidivique psallentium multitudinem intra Ecclesiam reionantem, modulatione suavitate omnem superante. Tanto miraculo attonita, avert agnoscere quid hoc esset, moxque ministerio cujusdam præcari pueri conspici sibi Ecclesiæ januas apertas, tantumque splendorem in ea cernit, ut dici vinceret claritatem. Ingressa, respicit è regione sepulchri S. Germani, & ibi videt multitudinem virorum, Angelicis vestibus indutorum; inter quos Vir quidam præfulgebat, niveam canicem præferens cui quasi recognovit, ait: *O sanctissime Germane, multum temporis est, quo hæc, qua vides, servus tuus Landfredus fieri desiderabat.* Cui ille: *Scio: nam hodie viginti anni sunt, ex quo ego isti, ut me transferres, ostendi.* Tade & dic ei, quoniam ejus devotio mihi placet, sed caritas plane displicet. *Quod si hinc me transferre optas, retrò B. Stephani aram me ponas.* Hanc visionem cum Abbati & Fratribus mulier retulisset, duobus indicis veram esse agnoverunt: sive quia annorum numerum sola Abbatis retinebat memoria: sive quia congregationi adhuc erat incognitum, in Altari S. Crucis B. Stephani reliquias esse, quas postea sagax inquisitio prodidit.

Itaque Abbas Regem Pipinum adjit, tunc regnantem, & quæ sibi pridem ostensa fuerant & quæ recenter huic mulieri enarravit. Gavius est Rex, convocatisq; universis Regni Præsulibus, quomodo hoc negotium perficere oporteret, cum eis pertractavit Indicta igitur die, adest Rex cū suis Proceribus aperitur terra, levatur facillimè sanctum corpus cum suo sepulchro diligenter clauso, atque intra aulam Ecclesiæ cunctis exultantibus reponitur: ibique reliquum diei & sequentis noctis officium dignè celebrantes, craftinum præstolati sunt diem. Primo mane adest Rex cum Optimatibus, cæptum opus ad finem perducitur. Veches præparati sunt longissimi ad efferendum corpus, non ob ejus pondus, sed propter religiosum obsequium, quia gaudebat unusquisque vel alijs portantibus veches contingere. Accedens ergo Rex & Primates ab ipso electi, apprehenderunt sepulchrum, volentes perficere opus inchoatum. Sed multorum manibus cooperantibus ut levaretur, perstitit immotum quasi radicitus afixum; diverſæque machinæ frustra ad id impèduntur. Cōstitatur Rex & Optimates, seipſos arguentes, quod de loco, quem sibi vivens elegerat, & tot annis quieverat, levare præsumperint. Vocantur Episcopi, qui interrogati dixerunt: *Scit Majestas Vestra S. Germanum Episcopum esse, ideoque forsitan optat ab Episcopis sanctum suum corpus transferri.* Consilium istud rectum visum est, & prece sua, remotis cæteris, accedunt Episcopi; sed omnem conatum frustra impediunt.

Kursus

Rurſus ergo aliud ab Episcopis ſuggeritur conſiliū, dicuntque Regi : *Certum eſt nobis, B Germanum hic velle transferri ad deſignatum locum; tamen quia nec Ceſtudo Veſtra, nec humilitas noſtra id poterit, optinamus ſanctum velle ſervientes ſibi fratres in hoc Monasterio ſui corporis bajulatione honorare ut ſemper in ſanctitate ſimulentur ei ſervire. Acceſſere igitur & Monachi ad tumulum, ſed nulla vi aut induſtria à terra elevare valuerunt.*

ſiente Rege, & Optimatibus contriſtatis valde, quidam divino tandem inſtinctu edoctus dixit: Si dignatur Rex ex ore ſervi ſui verbulum audire, huius impoſſibilitatis cauſas veraciter enarrabo. Eſt in hoc pago Pariſiaca villa veſtra, nomine Palaciolum in cuius circuitu villa monaſterij ſunt. Eſci autem veſtri ob fortitudinem ſublimitati veſtra valde ſunt inſolentes contra hunc locum homines & pecora cadendo, meſſes prata ſylvas vaſtando, ſimilamque huius Eccleſie variè aſſigendo. Exiſtimo virum beatum hanc à munificencia veſtra expoſcere. Antonius Rex pius ait: *Infra eſt hac tribulatio noſtra, & B. Germani pia admonitio. Ponens igitur vadium ſuum ſuper tumulum: Accipe, inquit, beatiſſime Germane, villam noſtram cum omnibus appendicijs, familia tua hactenus inimicam, ſed deinceps perpetuo profuturam, tantum ut ſacri corporis tui dignus portitor exiſtam. His dictis, ipſe & electi ab ipſo Optimates, manus ad ſectum mittunt, tantaque ſcilitate levarunt, ac ſi nihil haberet ponderis. Quare Clerus & Episcopi miraculo exhibitati in jubiloſam vocem, *Deum laudamus*, eruperunt. Secutaque eſt alacritas populi, certatim vel ſerretum, vel extremam partem veſtium, vel veſtes portantium, attingere exoptantis.*

Ventum eſt ad foſſam præparatam, ſed altera naſcitur difficultas: nam vêtetes, ob longitudinem ſuam & brevitate cryptæ, ſarcophagum ſolite aptari vetabant. Dum ergo conſilium inſerit de recidendis veſtibus, & de modo inducendi corpus ſine diſruptione ſarcophagi: ecce ipſemet ſarcophagus, nemine tangente, motus eſt de veſtibus, cunctis ſtupentibus, & in locum paratum depositus eſt. In ipſa autem motione tantus odor miræ & inexpectæ ſuavitatis de ſepulchro evaporavit, totamque Eccleſiam replevit, ut omnes inibi conſiſtentiſ, quaſi in extaſi à dulcedine illa converſi per dimidiam ſerè horam, nec aliquid ſibi colloqui, nec ſe invicem reſpicere valerent. Quaſi ergo de gravi ſopore evigilantes, admirantes de eo quod factum erat, & timentes ſarcophagum minutatim fractum eſſe, dum reſpiciunt in foſſam, vident planè integrum, & tam decenter compoſitum, ut nulli eſſet dubium, hoc miniſterio Angeiorum peractum eſſe. Hæc antiquo ex ſcripto Monachi cujuſdam monaſterij S. Germani, qui ex ore Caroli Magni, Imperatoris, hæc ſe ſcripſiſſe aſſerit, quia huic translationi interfuert adhuc adoleſcens Carolus. Celebratur autem hæc Translatio vigefima quinta menſis Julij. Tanta porro

miracula ad ejuſ ſepulchrum eurrentibus ſæculis peracta ſunt, ut poſtquam duobus libris Haymonus Monachus nonnulla tradidit, cogatur ſàteri:

Scribere penna nequit miracula facta per ipſum; Dum jacet in tumulo: promere lingua minus. Linguitur hoc illi, bibulas qui ſolus areas. Ac pelagi guttas à numerare valet.

IN FESTO S. IACOBI MINORIS.

LECT. 23. quadrup.

Vidi ſimilem Filio hominis in modo Candelabrorum aureorum; &c. Apoc. 1.

Quod S. Ioannes in Apocalypſi ſua de Chriſto PAR. I. ſibi in viſione apparente pronunciat, nos ex Quomodo parte poſſumus S. Iacobo ejuſ Apoſtolo adaptare; S. Iacobus & de eo in contemplatione mentis nobis repræſentato dicere: *Vidi ſimilem filio hominis in modo Candelabrorum aureorum, veſtium podere, præcinctum ad mammillas zona aurea, & oculi ejus flamma ignis.*

Varie enim ejuſ dotes his verbis poſſunt deſignari aptiſſime, quibus in Eccleſia Dei promicat, quaſque contemplari nos decet & venerari.

Primo igitur dicimus eum ſimilem filio hominis, hoc eſt Chriſto, qui ſe hoc titulo frequenter in Evangelio inſignivit, ſicque ſpecialiter vocari voluit. Sed in quo conſiſtit hæc ſimilitudo? Vtq; in ſpecie externa vultus ſimulq; in interiori ſpecie animi & morum. Quamvis ad ſpeciem externam vultus, Iacobum fuiſſe Chriſto ſimilem, antiqua eſt traditio, ita ut etiam propterea vocatus fuerit *Frater Domini*, de quo S. Paulus: *Apoſtolorum videtur nimen niſi Iacobum Fratrem Domini. Frater ergo Domini dictus ſuit, tum quia conſanguineus erat, conſanguinei autem in ſcriptura fratres nominari ſolent; tum quia vultu & forma erat ei ſimillimus; quaſi Chriſti frater & gemellus foret. Eximia nempe forma & pulchritudine præditus fuit, quandoquidem talis fuerit Chriſti ſpecies, de quo canimus: *Species forma præ filiis hominum, diſſuſa eſt gratia in labijs tuis.* Propterea non dubitamus Iacobum Chriſto Domino amabilem & charum ſpecialiter extitiſſe, quandoquidem ſimilitudo amorem conciliat, nec ipſe potuit non amare hunc quem fratrem ſuum dignatus eſt vocare, fratrem inquam cognitione, fratrem affectu correſpondente, fratrem virtutis imitatione, fratrem vultus ſpecie. Neq; ſolum Chriſto Domino amabilis fuit S. Iacobus, ſed etiam Chriſtiani omnibus qui eum viderunt, quia in eo quaſi in quodam ſpeculo viva Chriſti eſſigies cerebatur. Quapropter poſt Chriſti aſcenſum, ſicut Chriſtiani magno deſiderio flagrabant videnti Matrem, quæ genuerat ſæculorum Salvatorem, & per ipſum omnes Chriſtianos omnesque ſalvandos; ad eam enim tanquam Agnellis accurrebant, agnoſcebantq; ubera quæ lactaverant Regem ſæculorum, & tunc adhuc lactabant novellam Eccleſiam lacte ipſius.*

Species externa: vultus S. Iacobi ſimilis Chriſto. Gal. 1.

ſp. 44.

Iacob. quomodo: Frater Chriſti.